

men vitam æternam non merentur. Ad quartum dicendum, quod non omnis actus laudabilis est virtute informatus: quia & actus qui sunt ad virtutem, vel sicut causantes acquirunt, vel sicut disponentes ad infusam, sunt laudabiles: nec etiam actus quacumque virtute informati, est meritorius, sed ille tantum quem informat virtus gratiæ gratum facienti, & charitati conjuncta.

QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de virtutibus libero arbitrio annexis: & quærentur quatuor.

Primo. de sensualitate, quid sit.

Secundo. De superiori, & inferiori parte rationis.

Tertio. De synderesi.

Quarto. De conscientia.

ARTICULUS I.

Utrum notificatio sensualitatis posita in littera sit conveniens.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter notificetur in littera sensualitas. Differt enim sensualitas à ratione, ut in littera dicitur. Sed inferior portio rationis est quædam vis ex qua procedit appetitus rerum ad corpus pertinentium: quia temporalibus administrandis intendit, ut in littera dicitur. Ergo inconvenienter per hæc sensualitas describitur.

2. Præterea. Ut in littera dicitur, quidquid commune cum bestiis habemus, hoc ad sensualitatem pertinet. Sed vires sensitivæ apprehensivæ nobis, pecoribusque communes sunt. Ergo ad sensualitatem pertinent. Sed ex apprehensivis non procedit appetitus, & motus. Ergo inconvenienter per hæc sensualitas describitur.

3. Præterea. Secundum Philosophum in II. Elen. cap. VII. eadem est ratio rei, & unius rei. Sed sensualitas non est una vis animæ: quia si colligit apprehensivas, & appetitivas, constat quod plures sunt: similiter etiam si colligit appetitivas tantum, quia appetitus sensibilis, qui nobis, & pecoribus communis est, in duo dividitur, scilicet in desiderium, & in animum, ut in III. de Anima, text. xxxii. dicitur, sive irascibilem, & concupiscibilem, quod idem est. Ergo videtur quod inconvenienter dicat sensualitatem esse vim animæ quamdam.

4. Præterea. Unius virtutis est unus actus. Sed ipsi sensualitati duos actus attribuit, id est appetitum, & motum. Ergo inconvenienter eam describit sicut unam quamdam vim.

5. Præterea. Si sensualitas est una vis, non potest esse nisi quod sit appetitus sensibilis. Sed appetitus non est ex appetitu. Ergo videtur quod inconvenienter dicat sensualitatem esse ex qua est appetitus rerum ad corpus pertinentium.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod differt sensualitas, & sensibilitas: sensibilitas enim omnes vires sensitivæ partis comprehendit, tam apprehensivas de foris, quam apprehensivas de intus, quam etiam appetitivas; sensualitas autem magis proprie illam appetitivam partem nominat per quam movetur animal in aliquod

(1) Nicolai de persequendo. (2) Al. alia per se sequuntur, item consequuntur. (3) Al. nam cum inferior.

appetendum, vel fugiendum. Sicut autem est in intelligibilibus, quod illud quod est apprehensum, non movet voluntatem, nisi apprehendatur sub ratione boni, vel mali, propter quod intellectus speculativus nihil dicit (1) de imitando, vel fugiendo, ut in III. de Anima, text. XLVI. dicitur; ita etiam est in parte sensitiva, quod apprehensio sensibilis non causat motum aliquem, nisi apprehendatur sub ratione convenientis, vel inconvenientis: & ideo dicitur in II. de Anima, text. XIV. quod ad ea quæ sunt in imaginatione, hoc modo nos habemus ac si essemus considerantes aliqua terribilia in picturis, quæ passionem non excitarent vel timoris, vel alicujus hujusmodi. Vis autem apprehendens hujusmodi rationes convenientis, & non convenientis, videtur virtus æstimativa, per quam agnus fugit lupum, & sequitur matrem; quæ hoc modo se habet ad appetitum partis sensibilis, sicut se habet intellectus practicus ad appetitum voluntatis: unde, proprie loquendo, sensualitas incipit ex confinio æstimativæ; & appetitivæ consequentis, ut hoc modo se habeat sensualitas ad partem sensitivam, sicut se habet voluntas, & liberum arbitrium ad partem intellectivam. Hoc autem conveniens quod sensualitatem movet, aut ratio suæ convenientiæ, aut est apprehensa à sensu, sicut sunt delectabilia secundum singulos sensus, quæ (2) animalia persequuntur: aut est non apprehensa à sensu; sicut inimicitiam lupi neque videndo, neque audiendo ovis percipit, sed æstimando tantum: & ideo motus sensualitatis in duo tendit, in ea scilicet quæ secundum exteriores sensus delectabilia sunt; & hoc est quod dicitur, quod ex sensualitate est motus qui intenditur in corporis sensus: aut ad ea quæ nociva, vel convenientia corpori secundum solam æstimationem cognoscuntur; & sic ex sensualitate dicitur esse appetitus rerum ad corpus pertinentium. VI. de Anima, text. XLVI.

Ad primum ergo dicendum, quod ex ratione inferiori est etiam motus, & appetitus eorum quæ ad corpus pertinent; non tamen sicut ex proximo principio, sed sicut ex remoto, in quantum vires sensibiles per imperium movet, quæ sunt aliquid obedienter rationi, ut in I. Ethic. versus finem, dicitur. Vel dicendum, quod ratio hujusmodi motum causat, non concernendo intentiones particulares, & materiæ concretas, sicut sensualitas; sed magis universales, & à materiæ appendiciis separatas.

Ad secundum dicendum, quod ad sensualitatem aliquid pertinet dupliciter: vel sicut existens de essentia ejus; & sic videtur tantum appetitivam partem continere: vel sicut præambulum ad ipsum; sicut ratio ad liberum arbitrium pertinet, ut dictum est; & hoc modo etiam vires apprehensivæ sensitivæ pertinent ad sensualitatem, licet secundum quemdam ordinem: quia æstimativa proprie se habet ad eam sicut ratio practica ad liberum arbitrium, quæ etiam est movens; imaginatio autem simplex, & vires præcedentes se habent magis remote, sicut ratio speculativa ad voluntatem.

Ad tertium dicendum, quod sensualitas non nominat simpliciter unam potentiam, sed unam secundum genus, scilicet appetitivam sensitivam, quæ in irascibilem, & concupiscibilem dividitur. Sed tamen sciendum, quod ratione differunt sensualitas, & irascibilis, & concupiscibilis. Cum enim, ut Dionysius dicit VII. cap. de div. Nom. (3) natura inferior

in sui supremo attingat infimum superioris naturæ, natura sensitiva in aliquo sui quodammodo rationi conjungitur: unde & quædam pars sensitiva, scilicet (1) cognitiva, alio nomine ratio dicitur, propter confinium ejus ad rationem. Sic ergo dico, quod irascibilis, & concupiscibilis nominant appetitum sensitivum, secundum quod completus est; & per diversa distinctus, & versus rationem tendens: unde & in homine irascibilis, & concupiscibilis rationi obtemperant. Sensualitas autem nominat sensitivum appetitum, secundum quod est incompletus, & indeterminatus, & magis depressus; & ideo dicitur, quod in ea non potest esse virtus, & quod est perpetuæ corruptionis; & ex ipsa sua indeterminatione quamdam unitatem habet, ut quædam vis dicatur.

Ad quartum dicendum, quod si per motum intelligatur motus progressivus exterior, non inconvenienter motus, & appetitus sensualitati attribuuntur, etiamsi sit una potentia, quia sunt actus non æque primi, sed ordinem ad invicem habentes: appetitus enim interior motum exteriorem causat, & sic unus mediante altero à sensualitate procedit. Si autem per motum intelligatur motus interior appetitus, tunc distinguuntur isti duo actus secundum diversa objecta, quæ tamen potentiam non diversificant secundum genus: (2) & hoc quoniam modo sit, prius dictum est.

Ad quintum dicendum, quod appetitus est nomen potentia, & nomen actus: unde non est inconvenientis quod ex appetitu potentia procedat appetitus actus.

ARTICULUS II.

Utrum ratio superior, & inferior sit una potentia.

I. P. quæst. LXXXIX. art. 9. & de ver. quæst. xv. art. 2.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod ratio superior, & inferior non sit una potentia, sed diversæ. In partibus enim animæ non accipitur superius, & inferius animæ secundum situm, sed secundum dignitatem. Sed inter partes animæ intellectivæ est invenire unam partem alia digniorem: quia intellectus agens est nobilior possibilis, ut in III. de Anima, text. xviii. & xix. dicitur, quæ diversæ potentia sunt, ut supra dictum est. Ergo videtur quod id quod est superius in ratione, & id quod est inferius, sint diversæ potentia.

2. Præterea. Æternum, & necessarium idem esse videtur, (3) ut & contingens, & temporale. Sed Philosophus in VI. Ethic. cap. II. dicit, quod scientificum animæ circa necessaria est; ratiocinativum autem circa contingentia operata à nobis. Ergo videtur quod scientificum sit illud idem quod ratio superior, quæ æterna conspicit; & ratiocinativum idem quod ratio inferior, quæ temporalibus inhæret, ut in littera dicitur. Sed ratiocinativum, & scientificum, ut ibidem dicitur, sunt diversæ potentia. Ergo videtur quod (4) etiam ratio superior, & inferior.

3. Præterea. In superiori parte animæ est imago (5) Deitatis, ut in I. Libro dictum est. Sed superior

(1) Al. cogitativa. (2) Al. & hoc quodammodo, sicut dictum est. (3) Al. deest ut. (4) Al. omittitur etiam. (5) Al. deterioris.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Velut ex Lib. de Offic. indefinite prius indicabatur ad marginem; sed ibi tamen Lib. I. aliquando post initium dicitur officium esse quod cur factum sit, probabilis ratio reddi potest: ut & Lib. V. de finibus bonorum, & malorum num. LVIII. Quod ratione actum sit, id officium appellamus.

pars animæ est superior pars rationis. Ergo in superiori ratione est imago. Sed imago colligit tres potentias, memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Ergo ratio superior, & inferior non dicunt unam quamdam potentiam, sed plures.

4. Præterea. Regulans, & regulatum, & imperans, & imperatum non possunt esse idem, sicut nec agens, & patiens. Sed ratio superior se habet ad inferiorem sicut regulans ad regulatum. Ergo non possunt esse una potentia.

5. Præterea. Potentiæ distinguuntur per actus. Sed officium actum nominat, ut Tull. dicit (a) Lib. de Offic. Ergo videtur, cum ratio superior, & inferior per diversa officia geminentur, quod sint diversæ potentia.

Sed contra. Diversitas potentiarum constituit diversitatem rei. Sed in littera dicitur, quod cum de superiori, & inferiori ratione loquimur, de una quodam re dicimus. Ergo videtur quod non sint diversæ potentia.

Præterea. Potentia per diversos habitus non diversificatur. Sed ratio superior dicitur, prout dono sapientiæ perficitur; inferior, prout dono scientiæ, ut in littera dicitur. Ergo videtur quod superior, & inferior ratio non sint diversæ potentia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ratio hic accipitur quæ hoc modo se habet ad voluntatem, & liberum arbitrium, sicut se habet apprehensio sensitiva ad sensualitatem: sicut enim dictum est, nullus appetitus movetur in suum objectum, nisi fiat apprehensio alicujus sub ratione boni, vel mali, convenientis, vel nocivi. Hanc autem rationem convenientis, & boni aliter homo percipit, aliter brutum: brutum enim non conferendo, sed quodam naturali instinctu sibi conveniens, vel nocivum cognoscit; homo autem per investigationem quamdam, & collationem hujusmodi rationes considerat: & ideo vis illa per quam in hujusmodi rationum cognitionem venit, consequenter ratio dicitur, quæ investigata est, & deductiva unius in alterum. Quia vero tota ratio potentiarum ex objectis sumitur, quorum speciebus informantur, inde est quod oportet in ratione quemdam gradum constituere secundum ordinem eorum quibus intendit. In rebus autem quas ratio considerat, talis invenitur distinctio, & ordo, ut quædam æterna, & necessaria, à temporalibus discreta, eis proponantur: unde & ratio ex hoc quemdam gradum consequitur quod his, vel aliis intendit. Sed quia ita est in ordine rerum quod superius est æternum inferioris, & causa, inde est quod per æterna in his quæ temporalia sunt diriguntur; sicut id quod uno modo se habet, est mensura ejus quod multiforme est, ut ex X. Metaphysic. text. III. & IV. accipitur. Et secundum hoc patet quod ratio æternis dupliciter inhæret potest: vel considerando ipsa in se, vel considerando ipsa secundum quod sunt regula temporalium per nos disponendorum, & agendorum: & prima consideratio non exit limites speculativæ rationis; secunda autem ad genus practicæ rationis pertinet. Unde patet quod ratio superior par-

tim est speculativa, & partim practica: & ideo in littera dicitur, quod supernis conspiciendis, in quantum est speculativa, & in quantum est practica, supernis conspiciendis intendit. Unde ex hoc patet quod ratio superior, prout contra inferiorem dividitur, non distat ab ea sicut speculativum, & practicum, quasi ad diversa objecta respiciant, de quibus fiat ratiocinatio; sed magis distinguuntur secundum media, unde ratiocinatio sumitur: ratio enim inferior consiliatur ad electionem tendens ex rationibus rerum temporalium, ut quod aliquid est superfluum, vel diminutum, utile, vel honestum, & sic de aliis conditionibus; quas moralis Philosophus pertractat; superior vero consilium sumit ex rationibus aeternis, & divinis, ut quia est contra preceptum Dei, (1) vel ejus offensionem parit, vel aliquid hujusmodi. Diversitas autem mediorum, ex quibus ad idem genus (2) conclusionis proceditur, non potest facere diversam potentiam, sed quandoque diversum habitum: & ideo ratio superior, & inferior non distinguuntur sicut diversae potentiae, sed magis secundum habitum, vel quem jam actu habet, vel ad quem naturaliter ordinatur: ratio enim superior perficitur sapientia, sed inferior scientia.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio superior, & inferior non differunt sicut agens, & possibile: quod sic patet. Quia, ut in littera dicitur, ratio superior, & inferior habent actus respectu diversorum. Agens autem, & possibile semper concurrunt ad idem objectum, vel medium: quia impossibile est nos in intellectivam operationem progredi sine operatione possibili, & agentis: oportet enim ut species phantasmatum, quae sunt objecta intellectus nostri, efficiantur in actu intelligibiles; quod ad agentem pertinet, & intellectui conjungantur in eo receptae, quod pertinet ad possibilem; unde ex diversitate possibilis, & agentis non sequitur diversitas superioris, & inferioris rationis; sed ex diversitate medii, vel objecti.

Ad secundum dicendum, quod scientificum, & ratiocinativum non omnino distinguuntur sicut ratio superior, & inferior: quia scientificum nullo modo ad praxim pertinet, sicut pertinet ratio superior, ut dictum est, in quantum scilicet aeterna consulit, & praeter hoc scientificum ad quaedam se extendit quorum non est ratio superior, prout hic accipitur, scilicet ad res creatas necessarias: quia Philosophus scientificum animae non tantum sapientia, quae divinum est proprium, sed scientia, & intellectu, quae creatorum sunt, in VI. Ethic. cap. vi. vel VII. perfici docet. Cognitio autem rerum temporalium sive quantum ad ea quae ad nos agenda pertinent, sive quantum ad ea quae in his necessariis demonstrationibus considerantur, ad rationem inferiorem pertinet, quae scientia perficitur, quam Augustinus extendit tam ad speculativam, quam ad practicum considerationem rerum temporalium: unde distinctio superioris, & inferioris rationis non est idem cum distinctione (3) scientifici, & ratiocinativi; quamvis scientificum, secundum aliquid sui, cum ratione superiori conveniat, & ratio inferior cum ratiocinativo.

Ad tertium dicendum, quod ratio superior non est omnino idem cum illa parte mentis in qua consistit imago; sed includit eam, & excedit: quod sic patet. Imago enim potissime distinguitur secundum hoc quod mens tendit in objectum, quod Deus est, ut in I. Libro dictum est: unde potentia imaginis,

(1) *Al.* vel ejus offensionem parit. (2) *Al.* conditionis. (3) *Al.* specificissimi & rationis ordinis.

prout ad imaginem pertinent, respiciant aeterna solummodo ut objectum; ratio autem superior considerat ea dupliciter; scilicet ut objectum, in quantum conspici ea, & ut medium, in quantum ipsa consulit: nihilominus tamen etsi imago plures potentias essentialiter colligat, non oportet quod ratio superior in pluribus potentiis consistat: quia imago comprehendit & cognitivam, & affectivam; sed ratio comprehendit imaginem, secundum cognitivam tantum, & excedit, ut dictum est: & ideo ratio superior, & mens, in qua est imago, se habent ut excedentia, & excessa: superior enim ratio est speculativa, & practica; sed mens, secundum quod in ea est imago tantum, ad speculativam pertinet, quia objectum imaginis non est aliquid operabile a nobis: & sic ratio superior excedit mentem, & exceditur a mente, in quantum mens comprehendit affectionem, & cognitionem, cum ratio cognitionem tantum importet.

Ad quartum dicendum, quod diversitas regulantis, & regulati non demonstrat diversam potentiam, sed diversum habitum: unus enim habitus est regulativus alterius, sicut patet in scientiis speculativis, quod omnes scientias sapientia, scilicet Metaphysica, dirigit. Ita etiam ratio superior inferiorem dirigere dicitur.

Ad quintum dicendum, quod non quaelibet diversitas actus ostendit diversitatem potentiae; sed quandoque etiam ostendit tantum diversitatem habitus, sicut geometrizare, & syllogizare; quandoque autem neutrum. Ita autem sic patet. Quia enim substantia uniuscujusque potentia est, secundum quod est nata operari circa proprium objectum, ut de sensu dicit Philosophus in II. de Anima, text. lxxv. ideo actiones quae differunt secundum diversa objecta, ostendunt diversitatem potentiarum; ut tamen accipiatur differentia objectorum secundum id quod ad propriam rationem objecti pertinet: homo enim, & lapis differunt genere, sed conveniunt secundum quod sunt objectum visus in colore: & ideo visio hominis, & lapidis pertinent ad unam potentiam; sed sentire sonum, & colores pertinent ad diversas potentias: quia sonus, & color, secundum proprias rationes, quibus ad invicem distinguuntur, sunt propria objecta sensus. Quandoque autem diversitas actuum causatur ex diversitate medii, vel principii, ex quo pervenitur ad idem genus objecti: & talis diversitas actuum ostendit diversitatem habituum: diversae enim scientiae ex diversis principiis procedunt, etiam si easdem conditiones demonstrent, sicut Astrologus, & Naturalis diversis mediis rotunditatem terrae ostendit, ut dicitur in II. Physic. text. xviii. Similiter etiam virtutes morales distinguuntur ex diversis finibus, qui sunt in operativis sicut principia in speculativis. Quandoque vero diversitas actuum causatur ex eo quod est accidens actionis, vel ex parte agentis, secundum quod est potentius, vel infirmius in agendo, sicut hebetudo, vel subtilitas ingenii, quae differunt secundum velocitatem, & tarditatem addiscendi; vel ex parte medii, ut credere, & opinari, quae differunt secundum efficaciam, & debilitatem medii; vel ex parte objecti, sicut videre hominem, & lapidem: accidit enim colorato esse hominem, aut lapidem: & talis diversitas actionum neque potentiam diversam, neque diversum habitum requirit: quia illud quod est per accidens, non causat differentiam in specie. Officia

autem rationis superioris, & inferioris non differunt penes diversam rationem objecti, cum utrumque operabilia consideret; sed penes diversam rationem medii: quia ratio inferior procedit ex rationibus temporalibus; sed ratio superior ex rationibus aeternis: & ita etiam haec diversa officia non oportet quod diversas potentias demonstrent, sed diversos habitus, ut dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum synderesis sit habitus, vel potentia.

I. P. quast. lxxix. art. 12. & de ver. quast. xvi. art. 1.

1. **A**d tertium sic proceditur. Videtur quod synderesis sit potentia, & non habitus. Ea enim quae veniunt in eadem divisionem, videntur esse unius rationis. Sed synderesis dividitur contra alias animae potentias, scilicet contra rationalem, & concupiscibilem, & irascibilem, ut patet ex Glossa Hieronymi Ezech. 1. Ergo videtur quod sit potentia.

2. Praeterea. Hieronymus dicit Malach. 11. (2) super illud, Custodite spiritum vestrum &c. Spiritus dicitur non pars animalis, quae non percipit ea, quae sunt Dei, sed rationalis. Hanc autem vocat synderesim. Sed rationalis pars potentiam nominat. Ergo videtur quod sit potentia.

3. Praeterea. Habitus non inscribitur nisi potentiae. Sed Augustinus (b) dicit, quod universalis juris pracepta scripta sunt in naturali iudicatio, quod est synderesis. Ergo cum universalium (1) juris praceptorum sit aliquis habitus, videtur quod synderesis, cui inscribuntur, sit potentia quaedam.

4. Praeterea. Ex identitate actuum colligitur identitas potentiarum. Sed, ut ex inducta auctoritate patet, ad synderesim pertinet iudicium. Cum ergo liberum arbitrium ad iudicando nominetur, videtur quod synderesis sit idem quod liberum arbitrium. Sed liberum arbitrium est potentia. Ergo & synderesis.

Praeterea. Habitus amittitur per oblivionem, vel alio modo. Sed synderesis semper manet, quae etiam post mortem peccato remurmurat, cujus murmur vermis dicitur. Ergo synderesis nominat potentiam, & non habitum.

Sed contra. Potentia rationalis se habet ad opposita. Sed synderesis se habet determinate ad unum, quia nunquam errat. Ergo videtur quod non sit potentia, sed habitus.

Praeterea. Opposita in idem genus reducuntur. Sed synderesi opponitur fomes: sicut enim fomes semper ad malum instigat, ita & synderesis semper in bonum tendit. Cum igitur fomes sit habitus quidam, ut in littera dicitur, videtur etiam quod synderesis habitum nominet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut est de motu re-

(1) *Al.* juris sit aliquis, videtur &c. (2) *Al.* in conditiones. (3) *Nicolai* sicut. (4) *Al.* de conditionibus.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Vel sic tantum aliis verbis. Custodite spiritum, non carnem, in qua quae sunt, Deo placere non possunt, Rom. viii. non animam, eo quod animalis homo non recipit, vel non percipit ea quae sunt spiritus Dei, I. Corinth. 11. sed spiritum, quia spiritus interpellat pro nobis &c. De synderesi autem nihil ibi, sed in Ezech. 1. ubi scintillam conscientiam vocat. (b) Quod subjungitur ex Augustino, aequivalenter tantum insinuat Lib. I. de peccat. merit. & remiss. seu de baptismo parvulorum cap. xiv. sed synderesis non meminit.

rum naturalium, quod omnis motus ab immobili movente procedit, ut dicit Augustinus VIII. super Genes. cap. xxvi. & Philosophus probat in VII. Physic. a text. 1. usq. ad 1x. & VIII. a text. xxi. usq. ad xlv. & omne dissimiliter se habens ab uno eodemque modo se habente; ita etiam oportet quod sit in processu rationis: cum enim ratio varietatem quamdam habeat, & quodammodo mobilis sit, secundum quod principia (2) in conclusiones deducit, & in conferendo frequenter decipiatur; oportet quod omnis ratio ab aliqua cognitione procedat, quae uniformitatem, & quietem quamdam habeat; quod non fit per discursum investigationis, sed subito intellectui offertur: sicut enim ratio in speculativis deducitur ab aliquibus principiis per se notis, quorum habitus intellectus dicitur; ita etiam oportet quod ratio practica ab aliquibus principiis per se notis deducatur, ut quod est malum non esse faciendum, praecipis Dei obediendum fore, & sic de aliis: & horum quidem habitus est synderesis. Unde dico, quod synderesis a ratione practica distinguitur non quidem per substantiam potentiae, sed per habitum, qui est quodammodo innatus menti nostrae ex ipso lumine intellectus agentis, sicut & habitus principiorum speculativorum, ut omne totum est majus sua parte, & hujusmodi: licet ad determinationem cognitionis eorum sensu, & memoria indigeamus, ut in II. Poster. cap. ult. dicitur. Et ideo statim cognitis terminis, cognoscuntur, ut in I. Poster. cap. 1. dicitur. Et ideo dico, quod synderesis vel habitum tantum nominat, vel potentiam saltem subiectam habitui (3) sic nobis innato.

Ad primum ergo dicendum, quod synderesis dividitur contra alias potentias, non quasi diversa per substantiam potentiae, sed per habitum quemdam; sicut si intellectus principiorum contra speculativam rationem divideretur.

Ad secundum dicendum, quod rationalis pars non simpliciter vocatur synderesis; sed secundum quod talem habitum concernit.

Ad tertium dicendum, quod universalis juris non inscribuntur synderesi, quasi habitus potentiae, sed magis quasi collecta in habitu, inscribuntur ipsi habitui; sicut principia geometricalia Geometriae inscribuntur.

Ad quartum dicendum, quod iudicium non eodem modo libero arbitrio, & synderesi convenit: quia ad synderesim pertinet universale iudicium, secundum universalis juris principia: semper enim (4) de conclusionibus per principia iudicatur: unde & scientia resolutiva iudicandi ars dicitur: sed ad liberum arbitrium pertinet iudicium particulare de hoc operabili, quod est iudicium electionis. Unde synderesis non est idem quod liberum arbitrium.

Ad quintum dicendum, quod habitus naturalis nunquam amittitur, sicut patet de habitu principiorum speculativorum, quem semper homo retinet: & simile est etiam de synderesi.

ARTICULUS IV.

Utrum conscientia sit actus.

1.2. quest. LXXIX. art. 3. & de ver. quest. XVII. art. 1.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod conscientia non sit actus. Origenes enim dicit, super Epist. ad Rom. cap. 11. quod conscientia est spiritus corrector, & pædagogus animæ, sibi sociatus, quo separatur à malis, & adhereret bonis. Sed spiritus vel nominat potentiam, vel etiam ipsam essentiam animæ. Ergo videtur quod conscientia non sit actus.

2. Præterea. Conscientia, secundum quod à quibusdam describitur, est dictamen rationis, quo iudicatur, & ligatur ad faciendum, & non faciendum. Sed iudicium de hoc faciendo, vel non faciendo, ut dictum est, pertinet ad liberum arbitrium. Ergo conscientia est liberum arbitrium. Sed liberum arbitrium non est actus. Ergo nec conscientia.

3. Præterea. In Glossa Ezech. 1. dicit Hieronymus postquam de synderesi locutus est: Hanc autem conscientiam interdum præcipitari videmus. Ergo videtur quod conscientia sit idem quod synderesis. Sed synderesis non nominat actum, sed potentiam, vel habitum. Ergo videtur quod etiam conscientia.

4. Præterea. Conscientia est scientia quædam. Sed scientia nominat habitum. Ergo & conscientia.

5. Præterea. Damascenus dicit, Lib. IV. Fid. orth. cap. XXI. quod conscientia est ipsa lex naturalis, quæ est habitus principiorum juris. Ergo videtur quod conscientia sit habitus, & non actus.

6. Præterea. Omnis actus vel generat habitum, vel saltem ex aliquo habitu est productus. Si igitur conscientia est actus quidam, oportet quod multiplicatis actibus generetur habitus, qui conscientia dicitur; vel quod saltem tales actus ex habitu aliquo procedant, quod in idem redit.

Sed contra. Conscientia peccatum aggravare dicitur. Sed aggravatio peccati esse non potest nisi per hoc quod contradicitur actuali rationis considerationi. Ergo videtur quod conscientia actualem rationis considerationem nominet.

Præterea. Ut dictum est, conscientia à quibusdam dictamen rationis dicitur. Sed dictamen actum quemdam nominat, secundum quod ratio aliquid faciendum dijudicat. Ergo videtur quod conscientia actum nominet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod conscientia multis modis accipitur. Quandoque enim dicitur conscientia ipsa res conscita; & sic sumitur I. Timoth. 1.2. (1) Charitas procedit de conscientia bona. Glossa: Id est spes: quia ex meritis quæ conscientia tenet, motus spei insurgit. Quandoque vero dicitur habitus, quo quis disponitur ad consciendum; & secundum hoc ipsa lex naturalis, & habitus rationis consuevit dici conscientia. Quidam etiam dicunt, quod conscientia quandoque potentiam nominat; sed hoc nimis extraneum est, & improprie dictum: quod patet, si diligenter omnes potentie animæ inspiciantur.

(1) Vulgata: Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

tur. Nullo autem horum modorum conscientia sumitur, secundum quod in usum loquentium venit, prout dicitur ligare, vel aggravare peccatum: nullus enim ligatur ad aliquid faciendum nisi per hoc quod considerat hoc esse agendum: unde quamdam actualem considerationem rationis, per conscientiam, communiter loquentes intelligere videntur: sed quæ sit illa actualis rationis consideratio, videndum est.

Sciendum est igitur, quod, sicut in VI. Ethic. cap. VIII. Philosophus dicit, ratio in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis utitur. In syllogismo autem est triplex consideratio, secundum tres propositiones, ex quarum duabus tertia concluditur. Ita etiam contingit in proposito, dum ratio in operandis ex universalibus principiis circa particularia iudicium assumit. Et quia universalia principia juris ad synderesim pertinent, rationes autem magis appropriatæ ad opus, pertinent ad habitus, quibus ratio superior, & inferior distinguuntur; synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat, cuius consideratio est actus synderesis; sed minore ministrat ratio superior, vel inferior, & eius consideratio est ipsius actus; sed consideratio conclusionis elicitæ, est consideratio conscientie. Verbi gratia, synderesis hanc proponit: Omne malum est vitandum: ratio superior hanc assumit: Adulterium est malum, quia lege Dei prohibetur: sive ratio inferior assumeret illam, quia ei est malum, quia iniustum, sive inhonestum: conclusio autem, quæ est, adulterium hoc esse vitandum, ad conscientiam pertinet, & indifferenter, sive sit de presenti, vel de præterito, vel futuro: quia conscientia & factis remurmurat, & faciendis contradicit: & inde dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, quia scientia universalis ad actum particularem applicatur: vel etiam quia per eam aliquis sibi conscius est eorum quæ fecit, vel facere intendit: & propter hoc etiam dicitur sententia, vel dictamen rationis: & propter hoc etiam contingit conscientiam errare, non propter synderesis errorem, sed propter errorem rationis; sicut patet in hæretico, cui dicitur conscientia quod prius permittit se comburi quam juret: quia ratio superior perversa est in hoc quod credit, iuramentum simpliciter esse prohibitum. Et secundum hunc modum patet, qualiter differant synderesis, lex naturalis, & conscientia: quia lex naturalis nominat ipsa universalia principia juris; synderesis vero nominat habitum eorum, seu potentiam cum habitu; conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cujusdam.

Ad primum ergo dicendum, quod spiritus quandoque sumitur pro spirituali quadam operatione, & pro spirituali dono; & hoc modo sumitur hic spiritus, & non pro natura animæ.

Ad secundum dicendum, quod iudicium ad liberum arbitrium pertinet, ad conscientiam, & synderesim; sed diversimode: quia ad liberum arbitrium pertinet iudicium, quasi participative, quia per se voluntatis non est iudicare: unde ipsum iudicium electionis liberi arbitrii est; sed iudicium per se vel est in generali, & sic pertinet ad synderesim, vel est in particulari, tamen infra limites cognitionis persistens, & pertinet ad conscientiam: unde tam conscientia, quam electio, conclusio quædam est particularis vel agendi, vel fugiendi; sed conscientia conclusio cognitiva tantum, electio conclusio

ad bonum meritum.

Quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret. Videtur hæc causa esse insufficientis: quia in Christo etiam nihil fuit ad malum impellens, & tamen resistendo malo meruit. Et dicendum secundum quosdam, quod hoc intelligitur non de quolibet merito, sed de merito satisfactionis, ad quam poena requiritur. Sed hoc non videretur esse ad propositum, quia Adam merito satisfactionis non indigebat: & ideo aliter potest dici, quod ratio meriti ex duobus potest sumi: vel ex habitu informante; & sic omnis actus, vel facilis, vel difficilis, gratia informatus meritorius est: vel ex conditione actus, præcipue in quo est difficultas; & hanc rationem merendi in resistendo peccato non habuit.

sio affectiva: quia tales sunt (2) conclusiones in operativis, ut in VI. Ethic. ubi supra, dicitur.

Ad tertium dicendum, quod tota virtus conclusionis, ex primis principiis trahitur; & inde est quod conscientia, & synderesis frequenter pro eodem accipiuntur, & iudicium utrique attribuitur, & præcipue iudicium universale, quod per delectationem peccati non corrumpitur; sed magis iudicium in particularibus: & ideo non dixit synderesim præcipitari, sed conscientiam.

Ad quartum dicendum, quod conscientia & actum, & habitum nominare potest: est enim scire in habitu, & scire in actu: unde & conscientia diversimode accipi potest, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod conscientia, secundum quod accipitur pro habitu, potest dici lex naturalis, quia ex habitu illo præcipue actus conscientie elicitur.

Ad sextum dicendum, quod habitus ille ex quo nascitur actus conscientie, non est habitus separatus ab habitu rationis, & synderesi: quia non alius habitus est principiorum, & conclusionum quæ eliciuntur ab eis; & præcipue earum quæ sunt circa singularia, quorum non est habitus scientie, nisi secundum quod continentur in principiis universalibus.

EXPOSITIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Sed (3) non perficere bonum. Intelligendum est de bono meritorio.

Quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret. Videtur hæc causa esse insufficientis: quia in Christo etiam nihil fuit ad malum impellens, & tamen resistendo malo meruit. Et dicendum secundum quosdam, quod hoc intelligitur non de quolibet merito, sed de merito satisfactionis, ad quam poena requiritur. Sed hoc non videretur esse ad propositum, quia Adam merito satisfactionis non indigebat: & ideo aliter potest dici, quod ratio meriti ex duobus potest sumi: vel ex habitu informante; & sic omnis actus, vel facilis, vel difficilis, gratia informatus meritorius est: vel ex conditione actus, præcipue in quo est difficultas; & hanc rationem merendi in resistendo peccato non habuit.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Illud quoque prætermittendum non est, quod talis nunc in unoquoque homine est ordo tentationis, & progressio, qualis tunc in primis præcessit parentibus. Ostensa diversitate quadam partium animæ, hic ostendit quomodo contingat in eis peccatum esse: & dividitur in partes tres. In prima ostendit qualiter in unaquaque parte animæ possit esse peccatum mortale, & veniale. In secunda assignat huiusmodi digressionis, quam fecit, causam, ibi: Hæc de partibus animæ inseruimus, ut ipsius animæ natura plenius cognosceretur. In tertia removet quamdam dubitationem quæ posset accidere, distinguendo sensualitatis nomen, ibi: Non est autem silentio prætereundum, quod sæpe in Scriptura nomine sensualitatis... etiam inferior portio rationis... intelligitur. Prima dividitur in duas. In prima adaptat per quamdam similitudinem processum peccati in viribus animæ peccatorum parentum, quantum ad virum, & mulierem, & serpentem. In secunda ostendit, qualiter in

In II. Sent. Tom. II.

(2) Al. conditiones in operatis. (3) Al. Sed nunc perfice bonum. Supple vero ex Magistri textu: poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed etc.

singulis contingat esse peccatum, ibi: Nunc superest ostendere, quomodo per hæc tria in nobis consummatur peccatum. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit, qualiter contingat in partibus animæ peccatum mortale, vel veniale esse. Secundo summam colligit ea quæ dixerat, ibi: Itaque ut breviter summam perstringam etc. Tertio inducit auctoritates ad confirmandum, ibi: Hæc autem Augustinus in Lib. XII. de Trinitate tradit ita.

QUÆSTIO III.

HIC quærentur sex.

Primo. Quis motus sit sensualitatis, & rationis inferioris, & superioris.

Secundo. Utrum motus sensualitatis possit esse peccatum.

Tertio. Utrum in ratione possit esse peccatum.

Quarto. Utrum delectatio rationis inferioris alio modo possit esse peccatum mortale, si diu permaneat.

Quinto. Utrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale.

Sexto. Utrum veniale per multiplicationem, vel alio modo possit esse mortale.

ARTICULUS I.

Utrum motus sensualitatis, & rationis superioris, & inferioris convenienter, & sufficienter assignetur in littera.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod insufficienter, & inconvenienter distinguantur in littera motus sensualitatis, & inferioris, & superioris rationis. Omnis enim virtus naturaliter in suum objectum movetur. Sed virtus generativa, & nutritiva est quædam naturalis virtus. Ergo habet aliquem motum naturalem in actum generationis, & comestionis: & ita præter motum sensualitatis, & rationis, oportet ponere motum naturalem.

2. Præterea. Motus specificatur per terminum, & actus per objectum. Sed aliquis actus peccati est actus generativæ, & objectum alicujus actus peccati est objectum generativæ, & nutritivæ. Ergo motus in istud objectum ad generativam pertinet; & non ad sensualitatem, & rationem: & ita insufficienter motus animæ dividuntur.

3. Præterea. Diversarum potentiarum diversa sunt delectabilia, sicut & diversæ operationes: delectatio enim operationem sequitur, ut in X. Ethic. cap. VI. dicitur. Sed sensualitas, & inferior ratio sunt diversæ potentie. Ergo delectationem non habent circa idem: & ita inconvenienter ratio inferior ponitur circa idem delectari in quo delectatur sensualitas.

4. Præterea. Sicut supra dictum est, ratio superior, & inferior non differunt per essentiam potentie; sed in respectu ejusdem objecti per diversa media negotiari habent. Si ergo rationi inferiori attribuitur delectatio circa sensibilia ex hoc quod de sensibilibus negotiari habet per rationes civiles, & a rebus creatis sumptas, videtur quod etiam superiori rationi possit aliqua delectatio circa sensibilia ascribi, ex hoc quod de eis per rationes divinas negotiatur, secundum quod intendit æternis consulendis, ut dictum est.

Gg in offen. Præ-

(2) Al. conditiones in operatis. (3) Al. Sed nunc perfice bonum. Supple vero ex Magistri textu: poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed etc.